Quaestio Medica Quodlibetariis discutienda disputationibus In Scholis Medicorum die Iovis 8a Novembris, D. Guillelmo Capello D. M. Moderatore prudentissimo.

An ut Renum, sic Vesicae Lithiasis sit Curabilis?

Cum in variis corporis partibus lapis generetur, tum maxime in renibus et vesica, ex pituita crassa et lenta illarum partium calore temperato vel intemperato concrescente: adiuvante haereditaria renum constitutione calculosa, vasorum angustia, et facultatis expultricis imbecillitate. Frigiditas vero inter calculi causas non numeratur, quae tanta in corpore esse non potest, ut ab ea lapis aut adeps concrescat.

Itaque qui densos habent renes, et viscera calida, quique neglecto ciborum salubrium ordine esu, multam pituitam crassam et lentam in corpore congerunt, hi lithiasi sunt opportuni: Pueri quidem ei quae in vesica fit, senes vero renali, à qua gravissime cruciantur. Cuius generationem facillime utrique vitaverint, si omnibus causis calculum generantibus studiose remediis propriis obstiterint.

Calculum in stomacho renum, vel in eorundem substantia provenire, urinae crassae, rubentes, postea tenues, arenularum expertes, antea plenae indicabunt. qui si iam sit formatus, lumborum adest gravitas cum dolore fixo, ischias, quam sequitur vehementior vomitus, alvi astrictio, aliquando stranguria, quem femoris eiusdem lateris cum pene dolente, aut utriusque stupor, et testium retractio comitatur. Quibus interdum lenis colicus dolor communicat (unde nephritidem saepenumero mentitur) doloris tamen magnitudine, loco, tempore, motu, vicinarum partium sympathia, medicamentorum actione, et symptomatum diversitate distinguitur.

Vesicae vero capacitas si lapidem aut ex se, aut aliunde contineat, praeter dolorem sub pube, in collo vesicae, ano, et inguinibus gravem et ponderosum, stantibus et cubantibus loco diversum, urina erit initio tenuis, alba cum hypostasi, arenosa, copiosa, inde tamen decrescens: quem sequitur pudendi pruritus, et distensio, mingendi frequens desiderium perpetuo fere, alvus astricta, et egerendi cupiditas tanta, ut etiam plerumque anus decidat. accedit et urinae stillicidium, cui obstructo vesicae collo, suppressio propere succedit, cuius tamen speciem pituita salsa et crassa, vel pus ex ulcere collectum, aut caruncula excrescens, vel sanguinis thrombus interdum fallere comperitur.

Calculus renum si cum nephritico dolore, tum ventrem inferiorem conturbante, tum vomitum excitante coniunctus sit, is primum demulcendus clysteribus anodynis, et malacticis, linimentis, fotibus regioni renum admotis, encathismatis, praemissa venae sectione, siquidem periculum inflammationis adfuerit. Deinde corpore phlegmagogis convenientibus expurgato, lithontripticis et calculum dissolventibus utendum. primum quidem manifesta qualitate, postea occulta vi agentibus, vitatis vehementer calfacientibus, tam sumptis quam admotis. At superiora remedia renum calculo propria lithiasim vesicae persanant, tum propter viarum anfractum, tum quod calculus novo urinae crassae affluxu pituita obducatur: sed sola lithotomia, quae pueris, et mulieribus quam senibus est tutior, expeditissime id efficit.

Ergo non ut Renum, sic vesicae lithiasis erit curabilis.

Asserebat Euvertius Arragon Aurelianensis. M. D. LXV.

Domini doctores disputaturi.



M. Christophorus Massin. M. Joannes de Verneuil. M. Robertus Greaume.
M. Nicolaus le Gros. M. Ludovicus Thibault. M. Joannes Huguet.
M. Guillelmus de la Barre. M. Symeon de Malmedy. M. Olivarius Violaines.